



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Sectio Prima. De Essentia Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

Cum autem distincta cognitio minus universalium dependat à cognitione distincta magis universalium; nam magis universalia sunt partes minus universalium; partes verò prius oportet cognoscantur distinctè, quàm distinctè cognoscatur totum, quod ex illis componitur; Hinc erit

DISPUTATIO PRIMA.

De Sacramentis in genere.

I. Sacramentum dicitur, quod ad sacrandum institutum sit.



ACRAMENTUM apud Auctores cum prophanos, tum sacros varias habet significaciones; ea tamen etymologiae vocis, Scripturae ac Sanctorum Patrum

doctrinae videtur maximè conformis, quâ dicitur Sacramentum, quod ad sacrandum seu sanctificandum institutum est, prout in decursu hujus operis sole meridiano clariùs apparebit.

Velut id quod medetur, nocentum.

Et verò nemo ignorat medicamentum dici id, quod medetur, nocentum id, quod nocet &c. Quid ni igitur Sacramentum id, quod sacrat sive sanctificat? Ita planè sentiendum existimo, & loquendum cum Scriptura ac SS. Patribus, universisque Theologis; nequidquam ringentibus, freudentibus, oblatrantibus haereticis nostri temporis, qui absurdè omninò usurpant hanc vocem pro signaculo justitiæ per fidem acceptæ.

A quo loquendi modo, & Catholico sensu deviant haeretici.

Undè factum est, quòd deserendo Catholicum loquendi modum, etiam sensum deseruerint, & solâ voce Sacramenti tentâ, omnem Sacramentorum vim evanuerint, in numero etiam varient, & in definitione inter se dissentiant, de quibus videri potest Bellar. Praefatione in 2. Tom. Controv. & in libris sequentibus; non enim est operæpretium ijs hic inherere, quia sparsim in sequentibus tradentur. Sit itaque

Bellar.

SECTIO PRIMA.

De Essentia Sacramenti.

2. **E**T si tenuissima voluptatis sit de Religionis dogmatibus cum ijs homini-

bus velitari, qui communis sensûs fidei velut expertes, opinionum suarum modulo Christianæ fidei, Scripturaeque sensa mentiuntur, & universalis Ecclesiae judicio auctoritateque repudiata suo tantùm se duci spiritu, suoque quodammodò genio indulgere gloriantur: equidem quia perfecti Theologi est non solùm dogmata fidei proponere, sed etiam stabilire, & admortâ veritatis luce dispellere quidquid eis nebulæ offundere adversarij potuerint: hinc priusquam Catholicè definitio Sacramentum, libet paucis pro ratione nostri instituti refutare errorem A Catholicorum hujus ævi.

Lutherus lib. de Captivitate Babylo-nica cap. ultimo dicit Sacramentum esse promissionem (gratiæ) signo externo annexam. Calvinus lib. 4. Institutionum cap. 14. §. 1. externum symbolum, quo benevolentiae erga nos suæ promissiones conscientijs nostris Dominus obfignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, & nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo & angelis, quàm apud homines testatur. Suinglius lib. de vera & falsa religione, oppignorationem quamdam, quâ homo sese Christo obligat, ejusque militiae nomen dat. Breviter docent Sacramentum esse signum prædestinationis, vel benevolentiae, seu gratiæ collatæ per fidem specialem, quâ credimus nobis esse remissa peccata, ad quam Sacramentum movet seu excitat.

Inter quos Lutherus, Calvinus & alij

Sed quid ad hæc Concil. Trident. sess. 7. can. 6. Si quis dixerit Sacramenta nova legis non continere gratiam &c. quasi signa tantum externa sint accepta per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & nota quedam Christiane professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit. Et can. 8. Si quis dixerit per ipsa nova legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solum fidem divinae promissionis ad gratiam conse-

A Trident. anathematizati.

consequendam sufficere; anathema sit.

3. Porro absurditas hujus acceptionis ostenditur Primò ex Baptismo parvulorum, dum enim Lutherani baptizant suos parvulos non excitant in eis statim fidem: dicere autem cum Luthero parvulis tunc concedi usum rationis, est asserere continuum miraculum sine ullo ejus indicio.

Et certè si hoc foret verum, graviter tunc peccarent, ejulando, renitendo, & quantum in ipsis est subrahendo se ablu-tioni, teste D. Augustino epistola 106. ibi.

Quandoquidem tantum beneficium (regenera-tionis) non solum non liberibus (parvulis) ve-rum etiam reluctanter datur, quod eis ad magnum imputaretur sacrilegium, si iam in ipsis aliquid valeret voluntatis arbitrium. Imo Baptismus eorum esset invalidus, ut inferiùs edissero sect. 8. C. onc. 1.

Et quamvis in Baptismo adutorum so-leant pramittere concionem excitativam fidei, ea tamen in multis idiotis non habet effectum; neque in Catholicis, qui talem fidem non eliciunt dum baptizantur, & tamen baptizantur validè etiam in sententia Lutheri & Calvinii, qui proinde eos non rebaptizant, si declinent ad eorum sectam. Adde multa esse per quæ commo-diùs fides excitari possit, quæ tamen ab ipsis non dicuntur Sacramenta, ut sunt ob-servantia mandatorum Dei, & alia pia opera.

Ostenditur Secundò ex generali institu-tione Sacramentorum, etiam pro reprobis; alioquin non bene Christus præcepisset Apostolis suis Matth. 28. v. 19. Docere omnes gentes baptizantes eos in nomine Pa-tris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quis enim ambigat multos ex Gentibus fuisse vocatos, paucos verò electos? Si à me, inquit D. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 8. quaratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, qui-bus eam, qua Christianè viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo. Si Christianè vivit, qui perseverantiam non accepit, quid ni validè & licitè suscipiat Sacramenta?

Argumenta hereticorum, eorumque so-lutiones, vide apud Bellarminum lib. 1. de Sacramentis cap. 17. Nunc pro doctri-na Catholica erit

CONCLUSIO PRIMA.

Sacramentum congruentissi-mè ad usum modernum Ecclesiæ definitur: Res, vel

caremonia sacra, sensibilis, legitimè ac stabiliter insti-tuta ad significandam ve-ram sanctitatem, vel gra-tuitum Dei effectum, & ad conferendam, vel eam, vel saltem convenientem sta-tui Ecclesiæ tunc exi-stentis.

HA c definitione seu descriptione con-tinentur omnia & sola, quæ hodie ab Ecclesiâ pro Sacramentis sive novis, sive veteribus habentur. Explico singulas ejus partes.

Res, vel caremonia sacra. Per rem intel-lige Sacramentum Eucharistiæ, quod con-sistit in re permanente, speciebus scilicet consecratis; per *caremoniam* reliqua Sacra-menta, quæ solummodò sunt actiones ali-quæ transeuntes.

Illa autem *res, vel caremonia* dicitur sacra, quæ à Deo instituta est ad suum cul-tum. Defectu hujus sanctitatis non fue-runt Sacramenta veteris legis, manna & aqua miraculosè ex petra in deserto data, transitus maris rubri, & nubes, quæ du-cebat filios Israël per desertum; quamvis teste Apostolo 1. Cor. 10. significaverint spirituales ablu-tionem, potum & cibum; adeoque nostrum Baptisma, & Sacramen-tum Eucharistiæ; exhibebantur quippe so-lùm ad usum illius populi. Quamquam & aliâ ratione excludi possint; quia nimirum nullam contulerint sanctitatem.

Propter eandem rationem Martyrium non est Sacramentum novæ legis: enim- verò si spectetur ut est actio inferentis, est illicitum homicidium, & à Deo prohibi-tum: si verò ut passio sustinentis, indubiè placet Deo in tantùm ut quasi ex opere operato conferat gratiam sanctificantem. Ast ubi Deus illam passionem instituit ad sui cultum? Quin imò putant aliqui nec institui potuisse, cum ad illud perveni-ri non possit sine actione intrinsecè mala.

Contra: mors Christi fuit verum Sacri-ficium adeoque instituta ad cultum Dei; quid ni ergo & passio, & mors Martyrum potuerit institui? Ad rationem dico, aliud esse, Deum providere peccata, eaque ordi-nare ad suum cultum; aliud de peccatis providere, eorumque effectus bonos insti-tuere in protestationem divinæ excellen-tiæ: Multum siquidem diversum est, quod in

Definitio Per partes explicatus.

Est res sacra, à Deo instituta ad cultum suum.

Hinc varia veteris legis excluduntur. 1. Cor. 10.

Propter & Martyrium.

Quod aliqui putant nec institui potuisse.

Sed mala, cum mors Christi instituta fuerit ad Dei cultum.

s. Leo maligni-

malignitate Iudaorum est præcognitum, & quod in Christi passione est dispositum, inquit D. Leo ser. 15. de passione. Et Sanctus Prosper ad excerpta Genuen. dub. 7. Herodes & Pilatus & populus Israël fecerunt quanta manus Dei, & consilium prædestinavit fieri. Si mors Christi fuit prædestinata & ordinata in protestationem summæ Dei potestatis in mortem & vitam, quæ tamen sine crimine non erat complenda; nihil impedit actio Tyranni intrinsecè mala, quin similiter bona passio Martyris ad cultum Dei potuerit institui.

Non fuisse autem martyrium sic institutum satis probatur ex martyrio Innocentium.

Verumtamen non fuisse sic institutam, ut per modum signi sacri conferret gratiam iustificantem ex opere operato, satis probatur ex Martyrio Innocentium; quippè ad valorem Sacramenti requiritur intentio ministri, utique faciendi quod facit Ecclesia. Et hæc ubi? Certè non in Tyranno, qui in hoc unicum collimat, ut occidat & perdat, ac occidendo contra Ecclesiam prævaleat: non etiam in ipso Martyre, qui potest defectu usus rationis esse incapax propriæ voluntatis. Plura de hac re disp. 2. sect. ultimâ quæ est de Martyrio.

6. Sacramentum est res sensibilis, saltem secundarij.

Sequitur in definitione *ly sensibilis*: aliquo scilicet sensu externo, saltem secundarij ratione alterius, cui substat. Et quidem de facto Deum instituisse signa sensibilia, non est qui dubitet.

Ex varijs congruentijs hujus institutionis, unam adfero, quæ fundatur in unitate Ecclesiæ visibilis; quia nimirum Dei cultores erant in unam visibilem Ecclesiam congregandi, & discernendi à Gentilibus; impossibile autem est homines convenire in unam sive veram, sive falsam Religionem sine signis sensibilibus, utpotè qui mutuos internos conceptus percipere nequeant, propter dependentiam intellectus à phantasmate.

Rationem tamen Sacramenti non repugnat in sensu in sensibili, plerique docent.

Quòd autem ratio Sacramenti non repugnet signo insensibili, v. g. piæ cogitationi Angeli vel hominis, à plerisque docetur; quamvis negent fore Sacramentum ejusdem rationis cum illis, quæ de facto instituta sunt; nam potius esset Sacramentum divinum vel Angelicum, quàm humanum; quandoquidem homines per tale signum non possent, ut dictum est, in unam aliquam Religionem colligi & convenire; neque certi possent esse se suscepisse illud Sacramentum; cum actum aut habitum internum non satis cognoscant.

Tota res Sacramenti in tali signo invenitur.

Quidquid sit de nomine, clarum est, quòd tota res Sacramenti in tali signo inveniretur, scilicet significatio & collatio gratiæ: quòd enim illa significatio sit ref-

pectu hominum, vel Angelorum, aut Dei, non videtur includi in essentia Sacramenti. Porò Theologi locuti sunt secundum id, quòd de facto contingit, & quòd congruum erat, ut fieret.

Defectu sensibilitatis potest excludi ab hac definitione contritio, cui ex promissione divina infallibiliter annectitur gratia sanctificans; licet enim se quandoque prodatur externus, istud tamen sensibile signum impertinens est ad effectum gratiæ; quippè contritio merè interna æquè efficax est. Equidem non idèò contritio efficit, quia significat; sed potius è converso, idèò significat, quia efficit; quemadmodum causa naturalis significat suum effectum.

Tertia pars definitionis est: *Legitimè ac stabiliter instituta*. Legitimè quidem; quia non cujuscvis est instituire Sacramenta, ut constabit sect. sequenti: *stabiliter* verò; quia cum Sacramenta sint quedam ceremoniæ sacræ & communes, per quas fideles in unam Ecclesiam coalescant distinctam à cæteris institutis, necesse est, quòd permanent, quamdiu permanet idem Ecclesiæ status.

Quòd addo; quia Sacramenta veteris legis modò desierunt, quemadmodum & ipsa lex vetus desijt esse; verum sicut interitus legis veteris non obstat stabilitati requisitæ ex communi sententia ad rationem legis propriè dictæ; ita neque interitus Sacramentorum legis Mosaicæ aufert ab illis rationem propriè dicti Sacramenti pro tempore & loco, quo lex vetus obligavit. Sufficit igitur stabilitas respectiva pro loco, tempore, ac personarum circumstantijs.

Et hinc gesta Patriarcharum, quantumcumque res sacræ præfigurarent, non fuerunt tamen Sacramenta vetera, quia non fuerunt ceremoniæ institutæ ut stabiliter, & ordinatæ lege frequentarentur. Similiter ablutio pedum, insufflatio in Apostolos, verba dicta paralytico *Remittuntur tibi peccata tua*, quibus Christus usus est ad sanctificandum, non solent vocari Sacramenta novæ legis; quia non sunt stabili usu ad sanctitatem significandam & conferendam instituta.

Obijcit Cardinalis Lugo de Sacramentis disp. 1. sect. 3. n. 49. Sicuti Sacramenta pertinent ad cultum Dei, quem Ecclesia exhibet, sic & sacrificia: unde non minus debent convenire fideles in modo & ritu sacrificiorum, quàm in Sacramentis; & tamen in novo testamento Christus sacerdos ex præcepto Patris obtulit sacrificium cruentum in cruce, quòd non transijt in exemplum, neque stabilitum fuit per legem

Defectu sensibilitatis potest excludi contritio.

7. Sacramentum est res legitime ac stabiliter instituta.

Defectu potestioris conditionis gesta Patriarcharum, ablutio pedum &c. excluduntur.

Nec obstat quòd sacrificij cruentum non fuerit stabilitum; Lugo.

Sect. I. De essentia Sacramenti. Conclus. I. 7

gem permanentem: ergo similiter posset Deus instituire aliquod Sacramentum extraordinarium pro una vice, quod pertineret etiam ad cultum Dei.

Respondeo concedendo totum; verumtamen quemadmodum sacrificium cruentum non solet vocari sacrificium novæ legis; quia in lege nova non stabiliter institutum; ita neque sacrificium extraordinarium, quamvis rem Sacramenti novæ legis contineret, efficaciam videlicet & significationem gratiæ sanctificantis; nomine tamen illo nec deberet, nec posset gaudere. Colligo; quia ipsa lex nova secundum omnes dicit permanentiam & stabilitatem; ergo etiam Sacrificium & Sacramentum, quæ sunt quasi fundamentum & substantia legis novæ.

Quarta pars: *Ad significandam veram sanctitatem, vel gratuitum Dei effectum.* Ex quo apparet Sacramentum esse sacrum, non solum ratione principii à quo, & finis ad quem; verum etiam ratione significati, quod est sanctitas spiritualis hominis, vel accidentalis sive inherens, ut est gratia justificans, & auxilia gratiæ actualia; vel substantialis sive subsistens, qualis est ipse auctor gratiæ Christus Dominus, qui significatur per illam particulam, gratuitus Dei effectus, de quo conclus. sequenti.

Jam autem Sacramenta significare gratiam docet Trident. sess. 7. can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta nova legis non continere gratiam, quam significant &c.* De Sacramentis veteribus ita loquitur Euge. IV. in decreto sive institutione Armenorum: *Nova legis septem sunt Sacramenta &c. quæ multum à Sacramentis differunt antiquæ legis; illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dumtaxat figurabant.* Quod testatur Apostolus 1. Cor. 10. v. 4. *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus &c.* Et infra v. 11. *Omnia in figura contingebant illis.*

Additur pro fine definitionis: *Et ad conferendam vel eam, vel saltem convenientem statui Ecclesie tunc existentis.* Quippè Sacramentum non modò debet esse Sacramentum ex parte rei significatæ, sed etiam in se; hoc est, debet illos qui suscipiunt aliquo modo sanctificare, vel vera sanctitate, vel legali & convenienti illi statui, in quo habet rationem Sacramenti.

Fundatur in vi nominis: nam Sacramentum dictum est à sacrandò, sive initiando, vel consecrando; siquidem idem significat quod *mysterium*; hoc autem ex prima sua origine significat aliquid ad Re-

ligionem pertinens, quo homines sanctificantur & consecrantur. Procedit enim à verbo Græco *μυστήριον*, quod latinè est, *initiari sacris.* Inde, inquit D. Aug. lib. 15. de Civit. cap. 26. *Sacramenta manarum, quibus credentes initiantur, id est, consecrantur sive sanctificantur.* Certum autem est illa omnia quibus homines consecrantur, adferre illis aliquam sanctitatem saltem imperfectam.

Igitur sicuti status veteris legis erat figura status gratiæ, sic ei conveniebat, & propria erat sanctitas quædam, quæ erat umbra veræ sanctitatis, & consistebat in quibusdam justitijs carnis, ut docet Apostolus ad Heb. 9. putà in carentia legalis immunditiæ, quæ contrahēbatur ex contactu mortui, & similis, & per lustrationes præscriptas diluebatur: at vera sanctitas non pertinebat ad veterem legem ut sic; nec acquirebatur per cæremonias legales ut sic, sive ut pertinentes ad vetus testamentum; sed per opera pia ex contritione seu charitate profecta, & quatenus illas cæremonias piè & ex fide in Christum obibant, & sic quodammodò spectantes ad novum testamentum, ut fusiè D. Aug. lib. 3. contra duas epistolas Pelag. cap. 4. *Contrà verò statui gratiæ vera sanctitas propria est, desinentibus jam umbris.* Joann. 1. v. 17. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.*

Hinc excluduntur à ratione Sacramenti Primò Sacramentalia, v. g. aqua benedicta, benedictio Abbatis & Abbatissæ, prima tonsura, Professio religiosa &c. quæ licet significant & conferant aliquam sanctitatem; non tamen convenientem statui præsentis Ecclesiæ, id est, gratiam justificantem.

Enimverò cum Sacramenta sint signa practica alicujus sanctitatis, quæ populus Dei ab alijs distinguitur; necessario debent practice significare, & suo usu conferre sanctitatem statui illius populi propriam; unumquodque enim per id quod est sibi proprium, & in suo esse constituitur, & ab alijs distinguitur; atque ita Sacramenta nova & vetera per hoc in suo esse constituuntur & inter se distinguuntur, quod utraque ex opere operato sanctitatem suo statui propriam conferant.

Excluduntur Secundò Sacrificia veteris legis, præsertim ea, quæ non fiebant ad expianda certa peccata talibus vel talibus cæremonijs. *Quæris rationem limitationis? Non video, inquit Lugo dis. 1. de Sacramentis n. 12. cur illa (quæ videlicet fiebant ad expianda peccata talibus vel talibus cæremonijs)*

Quia nec solet vocari sacrificium novæ legis.

8. Sacramentum est res instituta ad significandam veram sanctitatem vel gratiam Dei effectum.

Significat gratiam probatur. Trident.

Forem.

1. Cor. 10.

9. Explicatur ultima definitio.

S. Aug.

Hebr. 9.

S. Aug.

Joan. 1.

Per illam excluduntur Primò Sacramentalia.

10. Secundò sacrificia veteris legis.

Licet cur omnia excludenda, non videat Lugo.

caeremonijs) non debuerint appellari Sacramenta. Nam imprimis significabant veram sanctitatem nobis dandam per mortem Christi & redemptionem crucis, & simul conferebant aliquam sanctitatem & expiationem in suo usu legalem ijs, quibus applicabantur, quem effectum habebant infallibiliter ex divina institutione. Ita Ille contra Suarium de Sacramentis disp. 1. sect. 1.

Qui respondet: Sacrificium quidem & Sacramentum convenire in ratione signi sacri, tam ex parte caeremoniae, quia utrumque esse debet caeremonia religiosa; quam ex parte rei significatae, quia in utroque esse debet res sacra: differre tamen; in re significante; quia Sacrificium continet supremum Dei cultum, id est, immediatè instituitur & refertur ad tribuendum cultum Deo, quocumque titulo Religionis, vel iustitiae tribuatur: Sacramentum verò immediatè refertur ad ipsos cultores Dei, quos disponit seu sanctificat ad cultum Dei. Undè fit ut Sacrificium consistat in actione aliqua seu oblatione, quae ad Deum refertur: Sacramentum autem in receptione, seu quasi passione, quae in Dei cultoribus aliquo modo suscipiatur. Et hinc etiam oritur ut idem Sacrificium possit à multis offerri, & omnibus prodesse; unum verò Sacramentum, seu usus Sacramenti tantùm in uno recipiatur, eique tantùm profit. In re autem significata differunt: quia Sacrificium per se & ex intrinseca ratione sua solùm requirit, ut significet divinam excellentiam & cultum, qui illi praestatur; Sacramentum verò potius ordinatur ad significandam sanctificationem eorum, qui Deum colunt. Haec tamen Suarius.

Sed contrà, inquit Card. suprà n. 13. licet Sacrificium ordinetur ad significandum cultum Dei; non tamen repugnat, quòd ipsemet cultus Dei rursus assumatur ad significandam sacramentaliter sanctificationem ipsius colentis Deum; sic enim de facto actus contritionis, qui de se tendit in Deum & ejus bonitatem, est pars Sacramenti Pœnitentiae, & assumitur ad significandam hominis pœnitentis sanctificationem. Item forma extremæ Unctionis est deprecatio, & per consequens actus orationis & religionis ordinatus de se ad colendum Deum: & tamen hic ipse actus religionis, & cultus Dei assumitur ad significandam sacramentaliter sanctificationem, quam operatur in aegrotis, qui ungitur. Cur ergo non poterit similiter aliquod Sacrificium, quod ex se esset cultus Dei &

ordinatum ad significandam Dei excellentiam, assumi tamen ad significandam sacramentaliter (hoc est, ad significandam & ex vi significationis conferendam) sanctificationem illius, cui applicatur? Etenim si Sacerdoti pœnitenti pro sacramentali pœnitentia injungatur oblatio Sacrificij; tunc Sacrificium novæ Legis, utpotè pars integralis Sacramenti Pœnitentiae, significabit sacramentaliter aliquam sanctificationem illius pœnitentis, scilicet expiationem à debito pœnae temporalis. Sic ergo potuisset secundum se institui aliqua oblatio Sacrificij pro actione & ritu consecrandi & ordinandi Sacerdotem; ita ut quando pro aliquo offerretur tale Sacrificium, ille maneret ordinatus & consecratus Sacerdos, ac per consequens illud Sacrificium posset tunc esse simul verum Sacramentum Ordinis.

Respondeo, quidquid fit de possibili, an videlicet in eadem actione seu re materiali simul possint inveniri ratio Sacrificij & Sacramenti, quod facillè admitteremus; equidem non dubitamus, quin rationes illae formaliter distinguantur; ideoque sacrificium quò tale nullatenus dici posse Sacramentum & è conversò. Ratio est manifesta; quia essentia Sacramenti est practica significatio gratiae, essentia verò Sacrificij significatio divinæ excellentiae & nostrae submissionis per cultum, qui Deo in Sacrificio exhibetur. Ut proinde occisio Agni Paschalis fuerit propriè Sacrificium veteris Legis; ipse verò Agnus occisus, ejusque comestio, Sacramentum.

Cæterùm, an Sacrificia expiatoria veteris Legis debuerint appellari Sacramenta, quaestio est de nomine, & ideo non immerò. In Ecclesia nova non solet vocari Sacramentum, nisi illa actio, quae primariò instituta est ad significandam & conferendam in suo usu & applicatione sanctitatem.

Undè Sacrificium novæ Legis, quamquam materialiter sumptum pro hostia quae in eo offertur, verè sit & ab omnibus vocetur Sacramentum; imò formaliter in quantum effectivum Corporis & Sanguinis Christi, aliqua ratione dici posset Sacramentum, ut patebit ex dicendis conclus. sequenti; equidem communiter non dicitur: quia ut sic principaliter non est institutum ad internam hominis sanctificationem per collationem gratiae justificantis; sed in signum protestativum summi dominij Dei in vitam & mortem.

Atque hæc sufficiant pro explicatione definitionis seu descriptionis Sacramenti in genere;

videt tamen Suarius; cū immediatè instituantur & referantur ad tribuendum cultu Deo; non sic Sacramenta.

Replicat Lugo non repugnare quòd ipsemet cultus Dei assumatur ut Sacramentaliter significet sanctificationem colentis Deum.

11. Quidquid fit de illo equidem rationes illae distinguantur formaliter.

An Sacrificia expiatoria veteris legis debuerint appellari Sacramenta, quaestio est de nomine.

genere; progrediamur ad definitionem Sacramenti novæ Legis, quæ talis est.

CONCLUSIO II.

Sacramentum novæ Legis est signum practicum gratiæ sanctificantis, vel gratuiti Dei effectûs.

cum ceteris Sacramentis symbolum esse rei sacre & invisibilis gratiæ formam visibilem: verum illud in ea excellens & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est.

Convenit igitur Eucharistia cum reliquis Sacramentis in eo, quod sit signum rei sacre, sive gratiæ invisibilis, prout hæc significat donum aliquod naturæ superadditum, institutum ad hominis salutem sive sanctificationem; differt autem in principali significato, quod est donum sive gratia substantialis, id est, auctor gratiæ Christus Dominus, cum reliqua Sacramenta principaliter significant gratiam accidentalem, hoc est, inhaerentem seu justificantem.

Illa ergo particula, *gratuitus Dei effectus*, non facit rationem formalem Sacramenti esse multiplicem sive æquivocam; sed solum significat diversitatem specificam aliquorum Sacramentorum, quæ reverà subest; siquidem Eucharistia est Sacramentum permanens; adeoque debet habere effectum permanentem sive subsistentem; cætera autem sunt Sacramenta transeuntia & ita habent effectum transeuntem in suscipiente.

Ex his deducitur alterutram particulam potuisse omitti salvâ bonitate definitionis; per *gratiam* namque potest intelligi & accidentalis & substantialis; atque rursus utraque rectè dicitur *gratuitus effectus*. Majoris itaque claritatis gratiâ Doctor Subtilis utramque gratiam distinctè posuit; idque quæ communis ly *gratia* apud Theologos significat solam gratiam accidentalem.

Fundantur Secundò; quia sic difficulter excluditur à definitione forma consecrationis; quæ si admittatur esse Sacramentum, jam plura erunt Sacramenta quàm septem, contra definitionem Ecclesiæ in Concil. Trident. sess. 7. can. 1. ibi: *Aut esse plura vel pauciora quàm septem* &c.

Respondeo Primò consecrationem fortè non debere excludi. Ita Gabr. 4. dist. 8. q. 1. l. F. in fine ibi: Sed ad dubium cum timore respondeo, quia non legi illud à Doctoribus decisum: non itaque asserendo, sed tanquàm examinandum corrigendumque à peritioribus offero. Consecratio Eucharistiæ est Sacramentum propriè; quia omnes definitiones Sacramenti datæ à Sanctis & Doctoribus sibi conveniunt.

Particula itaque prædicta solum significat diversitatem specificam aliquorum Sacramentorum.

Ostenditur alterutram particulam potuisse omitti, salvâ bonitate definitionis.

13. Impugnatur secundò definitio: quia sic difficultè excludatur forma consecrationis. si non excludatur, non solum septem erunt Sacramenta. Trident. Respondetur primò, Consecrationem fortè non debere excludi. Gabrili.

12.

12. Respicitur ab aliquibus definitio propter additum vel gratuitum Dei effectum. Quia sic, non foret una definitio.

Sed respondet Scotus pluralitatem quantumque vel subjectivam, vel correlativam ad correlativum non obitare quin relatio sit definitio simpliciter.

Sed arguitur hic etiam esse pluralitatem correlativam.

Respondetur, hinc Eucharistiâ differre specie ab alijs Sacramentis.

Quod etiam indicat Concil. Tridentinum.

Et tunc erit unum Sacramentum cum Eucharistia unitate ordinis.

Ad illationem respondeo, consecrationem esse unum Sacramentum cum Eucharistia unitate ordinis; quippe ordinatur ad spirituale convivium, sicut appositio cibi. Aliàs neque Sacramentum Sanguinis secundum Scotum est unum cum Sacramento Corporis unitate indivisibilitatis; sed solum integritatis. Accedit quod septem Ordines constituunt unum Sacramentum unitate ordinis; quidni etiam consecratio & Eucharistia?

Obiectio ex Scoto,

Objicies auctoritatem Scoti 4. dist. 6. q. 7. n. 3. ibi: *Illā prolatio verborum, quibus Eucharistia consecratur, non est Sacramentum, sed consecratio sacramentalis.* Rursus dist. 8. q. 1. n. 5. ibi: *Vnde usus huius Sacramenti non est Sacramentum: usus enim verborum sacramentalium est quadam via ad Sacramentum, quia in termino prolationis verborum incipit esse Sacramentum; sed usus & perceptio istius Sacramenti est quadam dispositio sacramentalis, seu via, quā hoc Sacramentum applicetur Ecclesia.* Pro explicatione

Solvitur: eo quod loquatur de Sacramento Eucharistiae permanente.

Nota duplex esse Sacramentum Eucharistiae, unum permanens, alterum transiens: permanens ordinariè & principaliter significatur; & de hoc loquitur Scotus; nam consecratio si est Sacramentum, est transiens. Colligo ex Report. primo loco n. 2. ibi: *Dico quod Sacramentum Eucharistiae, quod est species panis & vini, non est iterabile in eadem hostia.*

Scotus,

Interim quia fortassis alicui hæc responsio nova & minus probabilis videri posset, hinc ad objectionem principalem respondeo Secundo, consecrationem non significare gratuitum Dei effectum per modum partus spiritualis; sed ut hostiam sacrificij, quæ non ordinatur proximè ad hominis sanctificationem, sed protestationem summi dominij Dei; quippe consecratio propriè est Sacrificium; ut suo loco dicemus: porro species consecratæ, quæ sunt primarium Sacramentum Eucharistiae, significant corpus Christi per modum cibi spiritualis.

Inferitur, saltem perceptionem Eucharistiae fore verum Sacramentum: Scotus.

Si inferas: Ergo usus saltem sive perceptio Eucharistiae erit verum Sacramentum; siquidem significat spirituales nutritionem, ut habet Scotus 4. dist. 8. q. 1. n. 5. ibi: *Bene possibile est in utroque usu (scilicet consecratione & perceptione) si dignè fiat gratiam conferri utenti: sed hoc non est formale & primum significatum Eucharistiae, sed quidam actus sacramentales, in quibus bene potest gratia recipi, si dignè fiant: magis tamen in perceptione, quàm in consecratione, quia actus perceptionis significat spirituales nutritionem, quæ est per gratiæ collationem.*

Respondeo non sufficere ad Sacramentum, quod significet gratuitum effectum, sed insuper requiritur (ut patet ex definitione assignata) quod eundem vi suæ significationis causet; jam autem usus sive perceptio solum est conditio vel applicatio specierum consecratarum, quæ sunt vera causa moralis istius nutritionis.

Sed male: cum vi suæ significationis non causet.

Et quidem certum in primis est ante usum dari verum Sacramentum Eucharistiae. Trident. sess. 13. cap. 4. *Si quis dixerit peractâ consecratione in admirabili Eucharistia Sacramento non esse corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu &c.* Florentinum in instructione Armenorum de Sacramento Euch. ibi: *Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum.* Ratio à priori: quia est cibus spiritualis animæ, & causat gratiam sanctificantem per modum cibi; sicut ergo cibus naturalis ante manducationem habet virtutem adæquatam nutriendi, ita etiam Eucharistia.

Certum etiam est ante usum dari verum Sacramentum Eucharistiae. Trident.

Florent.

Secundo indubitatum est Eucharistiam non causare gratiam sanctificantem sine usu, neque hunc sine illa. Restat sola difficultas, unde colligatur illam manducationem non esse causam moralem gratiæ (ut dictum est) sed conditionem solum sine qua non, sive applicationem causæ moralis. Respondeo id fundari in institutione huius Sacramenti per modum cibi spiritualis: quemadmodum enim manducatio cibi naturalis non est causa physica nutritionis naturalis, sed solum conditio sine qua non; ita etiam manducatio cibi spiritualis non debet dici causa moralis nutritionis spiritualis, sed solum conditio sine qua non.

15.

Manducatio non est moralis causa gratiæ; pro ut nec manducatio cibi naturalis est causa physica nutritionis naturalis.

Sed contrà: Extrema Unctio instituta est per modum medicinæ; ergo sicut in naturalibus unctio sive applicatio olei non est causa sanitatis naturalis; ita etiam unctio in spiritualibus solum erit conditio & non pars Sacramenti. Respondeo unctio non esse institutam in ratione Sacramenti per modum medicinæ adæquatè causantis; bene Eucharistiam per modum cibi. Ostendo; quia Eucharistia à quolibet applicata habet suum effectum; unctio verò requirit certum ministrum & determinata verba, adeoque etiam partialiter significat ex Christi institutione internam curationem.

Argumentum à similitudine de extrema Unctione.

Solvitur.

Arguis iterum: Eucharistia posita in stomacho sine manducatione non operatur suum effectum; ergo manducatio est vera causa

16.

Sect. 1. De essentia Sacramenti. Conclus. 2. 11

sent & illud, quod Eucharistia polita in stomacho sine manducatione non operatur (suum effectum) Joannis 6.

causa moralis. Antecedens probas ex Joannis 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam &c.* Respondeo negando Antecedens; quis enim credat partem hostiæ sacræ immixtam cælitus D. Bonaventuræ per latus apertum instar rosæ, inibi non causasse ex opere operato gratiam sanctificantem?

Joan. 3.

Ad probationem dico, illis verbis exigi manducationem tanquam conditionem regulariter necessariam; quemadmodum ad Sacramentum Unctionis requiritur adductio presbyteri: *Infirmatur* (inquit Apostolus Jacobus Epistola Cathol. c. 5. v. 14.) *quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesie &c.* & tamen nemo docet inductionem illam esse causam, aut conditionem essentialiter requisitam ad effectum Sacramenti. Accedit illo loco Joannis agi de omni gratia justificante, quæ ille caret, qui non adimplet præceptum communionis quando potest; non impletur autem communiter sine manducatione.

Alia verba ibidem v. 59. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*, solum asserunt gratiam dandam manducanti, non autem negant illi, qui viâ extraordinariâ Sacramentum reciperet. Sicut de ligno vitæ dici poterat: *Qui comedit ex hac arbore, vivet*; & tamen procul dubio fructus ille haberet eundem effectum positus intra stomachum, etiam sine manducatione.

Lugo.

Hæc fusiùs Card. Lugo de Euch. disp. 1. sect. 7. n. 140. & sequentibus. Ceterum quia hæc doctrina nova est, aliud discrimen assignat idem Auctor ibidem, & alibi inter causam moralem & conditionem sine qua non; videlicet quod illa debeat esse moraliter actio Christi, qualis non est manducatio aut contactus sacræ hostiæ (de quo posset esse eadem difficultas & major, quia sine illo absolute Sacramentum non operatur) sed solum est conditio, quâ posita movetur Deus ab ipso Sacramento & ab operatione morali Christi ad dandam gratiam: sed de hoc alibi latius.

Assignatur discrimen aliud inter eorum moralitatem & conditionem sine qua non.

Datur ratio, cur usus non eque in hoc, ac alijs Sacramentis fit ad dandam gratiam institutus.

Queris à me, cur usus in hoc Sacramento non sit institutus ad dandam gratiam, sicut in alijs Sacramentis? Responso in promptu est; quia Eucharistia instituta est per modum cibi, alia non. Secundò: quia hoc Sacramentum est permanent, alia transeuntia, ut dixi.

17. Opponitur tertiò eadem partialis definitio.

Fundatur tertiò: quia videtur illa particula apponi ad includendam Eucharistiam, quasi hæc non haberet vim significandi & causandi gratiam sanctificantem ante usum; nec nisi mediante usu: sed sic sompno potius Sacramentum esse debet, quàm ipsa Eu-

charistia. Repugnat etiam Tridentino, quod sess. 13. c. 3. & aliquot can. sess. 7. omnibus Sacramentis effectum gratiæ in suscipiente tribuit ex opere operato: imò ipsa Eucharistia excluditur, si sola species sint Eucharistia Sacramentum.

Etiam ex Tridentino.

Et ex ed. quod & ipsa Eucharistia excluderetur.

Ut ab ultima parte hujus debilis fundamenti incipiam, respondeo nihil præter species consecratas reperiri in hoc Sacramento, per quod corpus Christi permanentem nobis significetur; quippe non per verba consecrationis, cum illa transeant; nec se per se ipsum, cum modo invisibili ibi existat; ergo per species, prout super illas forma verborum prolata est; & quandoquidem signatum non sit de essentia signi, liquet corpus Christi non ingredi essentiam Eucharistiæ, utpotè quæ debeat esse aliquid signum sensibile, vel pars illius.

Solitur obiectio.

Ad primam partem dico, non idè præcisè poni illam particulam; sed ut designatur Eucharistia per ordinem ad suum primarium & principale effectum, qui non est gratia inherens, sicut aliorum Sacramentorum; sed subsistens. Quæ etiam est ratio quare alia Sacramenta semper actu alicui significant & conferant gratiam, nisi ponatur obex; seu ùs Eucharistia; quàm nihilominus asserimus habere vim significandi ante summationem; imò & efficaciam quantum est ex se, hoc est, vim efficiendi gratiam habitualem: at verò negamus propterea præcisè dici Sacramentum; sed potius, quia actu semper signi fiat præcisè effectum gratuitum, Corpus scilicet & Sanguinem Christi.

Et quamvis possit fieri, quod actu & proximè non significet alicui homini, eo quod non sentiat sive videatur; tamen semper est signum actuale, hoc est, tale, quod ad significandum institutum est; non autem merè habituale, quod videlicet posset institui ad significandum. Porro talis actualis significatio sufficit ad rationem Sacramenti & competit Sacramento Eucharistiæ, etsi nullam causet in aliquo subjecto gratiam sanctificantem; alia autem Sacramenta eo ipso, quo sunt talia signa, efficiunt necessariò gratiam in subjecto disposito; siquidem ante usum non sunt, uti est Eucharistia: atque ita per illam particulam indicatur (ut dixi) distinctio inter Sacramentum Eucharistiæ & alia Sacramenta.

Interim nullus negat, quin Eucharistia in suscipiente dignè illam causet gratiam justificantem (ut Trident. supra in locis citatis docet) quàmvis existimemus illam non esse primarium effectum omnium Sacramentorum, cujus contrarium Trident. nullibi vel verbo insinuat, multò minus definit.

Disputant hinc plerique, utrum Sacramenta veteris Legis univocè conveniant cum nostris; adeoque sint propriè dicta Sacramenta? Quæstio parùm utilis & idcirco breviter dico.

CONCLUSIO III.

Sacramenta veteris Legis (exceptâ forsan Circumcisione & alio remedio peccati originalis) solùm analogicè conveniunt cum nostris in ratione Sacramenti. Equidem quodam sensu propriè sunt Sacramenta.

18.

DE Circumcisione & alio remedio peccati originalis ex professo sectione sequenti. Modò quod attinet reliqua Sacramenta veteris Legis, probatur prima pars conclusionis; quia essentialis ratio Sacramenti est significatio & efficientia alicujus sanctitatis; atqui sanctitas, quam effecerunt Sacramenta vetera & quam nostra efficiunt, analogicè conveniunt in ratione sanctitatis: ergo &c.

Probatur prima pars conclusionis.

Minor patet; quæ enim potest esse univoca convenientia inter sanctitatem veram & spiritualem, quâ Deo grati sumus & filij ejus efficiamur, & sanctitatem legalem seu ceremoniam, quæ non est nisi umbra veræ sanctitatis & consistit in munditia quadam corporali, aut remotione quarundam legalium irregularitatum?

Conceptus univocus & communis à Lugone abstractus.

Dices cum Lugone suprâ n. 47. Quamvis sanctitas dicatur analogicè de sanctitate gratiæ habitualis & sanctitate legali; possumus tamen ab utrisque Sacramentis abstrahere conceptum univocum & communem; quem quidem non explicemus per nomen sanctitatis, sed per nomen consecrationis, aut dedicationis & conjunctionis peculiaris cum Deo; ita ut esse Sacramentum sit ceremonia sacra in suo usu consecrans, dedicans, conjungens subjectum peculiariter cum Deo.

Dissolvitur primò. Dicastillo.

Sed contra primò: Gratis assumit (inquit Joannes de Dicastillo Tract. 1. de Sacramentis disp. 1. n. 26.) unam vocem esse analogam & alteram univocam; quod non probat, nec probare poterit. Nam sicut agnoscit solam analogiam in ratione sanctitatis, ita debuisset eandem agnoscere in ratione consecrationis, vel ostendere cur consecratio sit univoca, potius quam sanctitas.

Respondeo secundò plura fuisse Sacramenta in veteri Lege, per quæ homo specialiter non consecratur Deo, sed solùm mundabatur ab aliquibus immunditijs legalibus. Quæ certè mundatio, imò & omnis consecratio illius legis solùm erat ens aliquod morale; cùm tamen sanctitas & consecratio, quæ est effectus proprius Sacramentorum novæ Legis, sit qualitas aliqua physica & permanens. Quæ autem univocatio inter ens physicum & morale?

Secundò.

Venio ad probationem Majoris, quæ plana est ex definitionibus Sacramenti suprâ assignatis. Enimverò Sacramenta debent aliquo modo pertinere ad eos, quorum Sacramenta sunt; & proinde Sacramenta vetera non integrè absoluebantur (quidquid aliqui contradicant) per significationem gratiæ, quæ nobis filijs novæ Legis reposita erat, sed in eorum essentia involvebatur efficientia alicujus sanctitatis pertinentis ad carnalem Israël.

19.

In essentia Sacramentorum veteris Legis involvebatur efficientia alicujus sanctitatis.

Dices: Efficientia alicujus sanctitatis non habet se nisi materialiter ad rationem Sacramenti; interim formale Sacramenti videtur consistere in ratione signi tantum; atqui Sacramentum in genere non significat determinatè gratiam sanctificantem præsentem vel futuram, sed solùm dicit rationem signi gratiæ in confuso, quæ utique participatur æqualiter ab antiquis Sacramentis juxta ac novis: ergo &c.

Quòd formale Sacramenti consistat in sola ratione signi.

Respondeo negando Majorem. Etenim cur magis ratio signi, quam ratio causæ erit essentialis, cùm utraque in omni Sacramento reperitur sine mutua subordinatione? Nam potest aliquid esse signum gratiæ, & non causa, ut patet in exemplis primâ conclusione allegatis; & similiter potest aliquid esse causa gratiæ, & non signum, ut liquiddò constat ex actibus interinis, contritione v. g. vel amore Dei super omnia, qui verè causant gratiam & tamen eam non significant, saltem hominibus, qui eos non cognoscunt.

Improbatur.

Adde; quòd si verum est, quod docet Regius ad quæst. 60. art. 4. dub. 2. n. 20. Sacramenta veteris Legis significasse justificationem tantum mediatè, quatenus scilicet significabant proximè mundationem legalem, hæc verò præfigurabat seu significabat gratiam justificantem, liquet profectò non propriè significasse sanctificationem veram, & sic non convenisse in communi ratione Sacramenti, quæ in objectione dicebatur (sed falsò) consistere in significatione gratiæ sanctificantis.

Si verum est Sacramenta veteris Legis tantum mediatè significasse justificationem; non propriè significaverunt sanctificationem veram; Regius.

Probatur consequentia assumpti; quia licet

Sect. 1. De essentia Sacramenti. Conclus. 3. 13

licet homo pictus significet seu representet hominem vivum; hæc tamen vox *homo pictus*, non proprie dicitur significare hominem vivum, quamvis eum representet mediante picturâ.

Nec obstat, quod objicit idem Auctor n. 28. quod imago imaginis sit univoce imago cum imagine prototypi, si quis v. g. depingat imaginem Romanam, quam pinxit S. Lucas: nam ratio diversitatis est manifesta, quod imago imaginis non solum imaginem, sed etiam ipsum prototypum immediate representet.

Sic ergo probatâ Majori & Minori principalis argumenti, quid restat nisi ut consequentia sit evidens? Quippe efficientia eandem foritur analogiam, quam sanctitas, cujus est efficientia; nam ipsam sanctitatem essentialiter in suo conceptu in obliquo involvit; adeoque analogia ejus essentialem conceptum ipsius efficientiæ ingreditur.

Dices: Licet risus plantæ & risus hominis conveniant analogicè in ratione risus; equidem vita, quæ est causa utriusque, univoce dicitur de vita hominis & vita plantæ. Et similiter quàmvis canis terrestris & canis marinus sint analogicè canis, Deus tamen univoce dicitur creator respectu eorum; ergo non obstante quod effectus inter se solum analogicè conveniant in sua entitate; possunt nihilominus univoce convenire in ratione effectus: & sic Sacramenti efficacia potest esse univoce respectu sanctitatis legalis & sanctificantis, quàmvis hæc non sint nisi analogicè sanctitas. Quod maximè verum est in nostra sententia, quæ docebitur tam nova, quàm vetera Sacramenta solum causas: gratiam moraliter, adeoque eodem modo; & sic hi effectus conveniunt univoce in modo quo causantur, ac proinde in ratione effectus.

Confirmatur: quàmvis actio, quæ pro termino habet substantiam, & actio, quæ pro termino habet qualitatem, non habeant terminos univoce inter se convenientes; non rectè inde inferes, actiones inter se univoce non convenire. Idem argumentum fieri potest in relationibus ad terminos genere diverso; idem etiam in scientijs ad objecta genere diversa. Ergo pari ratione ex eo, quod sanctitas significata & collata per Sacramenta veteris legis non conveniat univoce cum sanctitate Sacramentorum novæ legis, non rectè argumentamur non posse in ratione signi & causæ moralis univoce convenire.

Respondeo: si argumenta ista aliquid concludant, ad summum convincere, quod

sanctitas legalis & nostra conveniant univoce in ratione effectus ut sic; & ita Sacramenta vetera & nova convenire univoce in ratione signi & causæ ut sic, quod libenter admittimus; sed negamus propterea univoce convenire in ratione signi & causæ gratiæ; per quam tamen formaliter & essentialiter constituitur Sacramentum; consequenter negamus convenire univoce in ratione Sacramenti.

Dixi ad summum convincere &c. quia revera nec hoc convincunt; nam ratio diversitatis est, quod effectus qui in argumentis allegantur sint entia quædam physica (substantiæ, vel accidentia, nihil refert) adeoque univocata vocis ens secundum Doctorem Subtilem 1. dist. 3. q. 3. n. 9. inter quæ proinde facilè intelligitur convenientia in modo quo causantur: at sanctitas novæ legis est ens physicum; antiquæ verò morale solum, inter quæ sicut univocatio nequit intelligi, sic nec in productionibus eorum.

Nec obstat, quod utraque sanctitas solum moraliter produci dicatur à Sacramenti: siquidem antiqua sicut physice non est, sic nec physice ullo modo produci potest; nova verò & physice est & physica actione producitur; quàmvis hæc actio solum moraliter imputetur Sacramento.

In forma itaque ad primum argumentum, quod est Regij, Respondeo, risum hominis & plantæ, item canem terrestrum & marinum convenire univoce in ratione effectus ut sic; sed non in ratione effectus: risus, vel effectus: canis, & sic nec vitam esse univoce causam risus, nec Deum creatorem canis respectu prædictorum, licet sint univoce causa ut sic. Sicut et si videns hominem ridentem & videns pratum ridens conveniant univoce in ratione videntis, non tamen in ratione videntis risum; ut nec ipse risus uterque convenit.

Ad secundum argumentum, quod est Dicastillonis, pater responsio ex dictis: quid enim miramur quod actiones illa genere distinctæ univoce conveniant inter se in ratione actionis ut sic, cum etiam substantia & accidens, quæ genere distinguuntur, conveniant in ratione entis ut sic? Imo licet ens æquivocè vel analogicè diceretur de substantia & accidente, adhuc actio ut sic univoce prædicaretur de istis actionibus; quia utraque est accidens reale & physicum.

Idem dicito de relationibus & scientijs, quæ quidem genere inter se distinguuntur, univoce tamen conveniunt in ratione relationis & scientiæ ut sic. Quippe relatio

glent vox, hanc picturam, non proprie significat hominem vivum.

Nec satisficit Re-

20.

hinc patet evidentia consequentia.

Objectioni, quod varia analogicè solum convenientia in uno, in aliis conveniant univoce.

de ad summum sequeretur, quod utraque sanctitas univoce conveniat in ratione effectus ut sic.

Respondeatur secundum;

Scimus.

Nec obstat moralis gratiæ productio.

Respondeo in forma ad argumentum Regij.

Solvitur etiam argumentum Dicastillonis.

21. Satisficit primò quia in-

non est aliud, quam realis & physica habitudo unius ad alterum, scientia autem cognitio certa & evidens, acquisita per discursum ex causa proxima & adaequata. Et dubitare aliquis potest, quin habitudo univocè dividatur in paternitatem, similitudinem &c. cognitio in cognitionem substantiæ, accidentis &c. sicut substantia dividitur univocè in corpoream & incorpoream, animal in hominem & brutum?

Quia Sacramentum non dicit rationem causa ut sic, sed essentialiter est signum & causa gratiæ.

Hæc itaque Sacramenta se habent, sicut homo verus & homo pictus.

22. Vetera itamen Sacramenta propriè ita vocantur, eo quod sanctitas umbratica conveniens

Porro Sacramentum non dicit rationem causa ut sic, sed essentialiter est signum & causa gratiæ. Sicuti ergo ipsa gratia nullatenus est univoca respectu gratiæ sanctificantis & gratiæ legalis; ita neque Sacramentum ut sic univocè dividitur in Sacramentum novum & antiquum.

Enimvero hæc Sacramenta non se habent sicut Deus & creatura, substantia & accidens; sed potius sicut risus hominis & risus plantæ, pes hominis & pes montis, homo verus & homo pictus: sanctitas quippe legalis solum erat figura & umbra veræ sanctitatis.

Equidem (& hæc fit probatio secundæ partis conclusionis) quoniam illa sanctitas umbratica erat conveniens & solum debita illi statui; idcirco Sacramenta veteris legis absque ulla metaphora vel improprietate sermonis, sine addito simpliciter vocantur Sacramenta tum ab Eugenio IV. in Con-

cil. Florent. tum ab alijs Patribus ac Concilijs.

Prout etiam juramentum, mysterium, sicut quodlibet signum rei sacræ & omnia alia, pro quibus aliquando à Scriptoribus tum profanis tum Ecclesiasticis vox Sacramentum usurpatur, absque improprietate sermonis, simpliciter & sine addito Sacramenta dicuntur; quis tamen propterea dixerit illa omnia univocè convenire in ratione Sacramenti, in ratione signi & in ratione gratiæ?

Cæterum quoties ejusdem vocis plura sunt significata univocè inter se non convenientia, unum principalius, alterum minus principale, dicunt communiter Philosophi ejusmodi appellationem alteri significato non propriè convenire, non quod velint aliquam subesse grammaticalem sermonis improprietatem; sed quod eam significationem vocent propriam & veram, quæ dignior est. Atque ita impræsentiarum dici posset solum Sacramentum novæ legis propriè & verè dici Sacramentum, quia significatum principalius & dignius.

Pergis contendere de voce? Non ago pugnantiter, voca ly Sacramentum univocum, æquivocum, analogum, parum curo, dummodò in re consentias.

Queris, quis sit hujus rei institutor? Pro responsione erit

& solum illi statui debita fuerit. Sicut & quodlibet signum rei sacræ Sacramentum dicitur.

Nec obstat communis Philosophorum locutio.

SECTIO SECUNDA.

De Sacramentorum Institutione.

1. Sacramenta tam nova, quam vetera fuerunt signa ad placitum. Secuti.

Obijciat Augustinus.

SUPPONO ex communi sententia omnia Sacramenta tam vetera, quam nova, fuisse signa ad placitum instituta; nec ex natura sua habere quod practicè significant gratiam: nam (ut bene Doctor Subtilis 4. dist. 1. q. 3. n. 3.) Tale signum (scilicet efficax gratiæ) non potest esse aliquid sensibile significans naturaliter, quia nullum sensibile habet efficaciam naturalem ad effectum invisibilem. Intellige defectò. An autem repugnet tale sensibile, quis nobis edisseret? difficulter repugnantiam ostendes.

Porro contra communem sententiam opponi solet locus D. Aug. Epistola 23. ad Bonifacium, ibi: Si enim Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent; atqui omnis similitudo naturaliter representat rem, cujus est similitudo; ergo &c.

Respondeo primò D. Aug. per similitudinem non aliud intendere, quam quòd omnia Sacramenta necessariò habeant vim representandi seu significandi, sive vis illa seu similitudo sit physica, sive moralis: ut autem aliqua similitudo naturaliter representet, debet esse physica & perfecta. Ablutio quidem corporis in Baptismo v. g. est quædam physica similitudo abluitionis animæ à peccatis, sed nimis imperfecta: unde etiam non representat ijs, qui Christianâ religione imbuti non sunt. Et sanè non video quam majorem proportionem habeat contractus Matrimonij ad significandam gratiam, quam reliqui contractus humani; nam materia ejus & forma ex se indicant merum contractum humanum.

Meliùs ergo responderetur Aug. loco citato non loqui de similitudine inter signa Sacramentalia & effectus illorum, sed comparare Sacramentum ut Sacramentum est,

sed responderetur primò solum intendere quòd Sacramenta necessariò habeant vim representandi, sive physicam, sive moralem.

2. Responderetur secundò, Augustinum comparare Sacramentum est, sacramentum